

DISSE⁷
TARI²
DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
MEDICAMENTIS
ANTIMONIALIBVS
QVAM
SVB PRAESIDIO
DIVINI NVMINIS
CONSENSU ET AVCTORITATE
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN INCLYTA VNIVERSITATE ALTORFINA
PRO LICENTIA
SVMMOS IN ARTE MEDICA
HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
LEGITIME IMPETRANDI
PVBLICO ERVDITORVM IVDICIO
SVBMITTET
JOANNES GEORGIVS ANTONIVS
KAPFER
BLINDHEMIO-NEO-PALATINV.
D. XXVII. IVNII A. S. R. M D CC XXXII.

AL TORFII NORICORVM
LITERIS IODOCI GVILIELMI KOHLESII, ACAD. TYPOGR.

DISSESTITIO INAGARIS MEDICY
MEIGAMHES ANTIMOMIAHES
SCHWIMMAMUS
CEMOSA-BACULATRIS MEDICAE
LARVOS EXTRACTA
SCWAMMOS IN MEDICIS MEDICAE
DODORIS ET TRINITATIS DOCTORIA
LITERATURAS
LARVOS EXTRACTA
IONINN-GORGIAZ ANTICONIS
XAPFER
TRINITYO-NTO-LALATYNE
S. XAPFER HANOVERIENSIS
MORTONI MORTORUM
ELEHERS DODORIS TRINITATIS HANOVERIENSIS

PRAENOBILI EXCELLEN-
TISSIMO ET DOCTISSIMO

**DOMINO
MARQVARDO
SEBASTIANO
A BINGEN**

*REVERENDISSIMI ET SERENISSIMI
PRINCIPIS ET EPISCOPI
AVGVSTANI
CONSILIARIO ET ARCHIA-
TRO*

*INCLYTI COLLEGII MEDICI AVGVSTANI
VICARIO PERPETVO
ET
OFFICINARVM PHARMACEUTICARVM
VISITATORI*

VT ET
PRAENOBILI EXCELLENTISSIMO
ET

DOCTISSIMO

D O M I N O

JOANNI RVDOLPHO

A

BINGEN

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE
DOCTORI

ATQVE

*ILLVSTRIS REIPVBLCAE AVG-
STANA MEDICO
ORDINARIO*

DOMINIS AC PATRONIS SVIS
OMNI PIETATE ET OBSERVAN-
TIA COLENDIS.

VIRI PRAENOIBLES ET EXCELLENTISSIMI.

Tanta est Nominum Vestrorum celebritas, admirabili doctrina, & operum salutaris artis, incredibili dexteritate & pari felicitate peractorum, multitudine parta, ut amplissimæ urbis Augustanae mœnibus inclusa haud contineatur, sed undiquaque per eruditum orbem jam diu cognita sit ac per vulgata. Omnia oribus celebratur Vesta humanitas, consummatæ doctrinæ & experientiæ, quarum laude diu floretis, compar, qua VOBIS humanum genus ita devinxistis, ut pauci sint Vobiscum in hac parte conferendi, nemo autem anteponi mereatur. Quare audendum mihi existimavi, dum Patronos mihi quæro, quorum auctoritate & præsidio ad praxin medicam provehar, ut Vestram in primis exorarem benevolentiam, quam si impetrare mihi licuerit, non minus confidenti animo altum hoc pelagus intra-

7

intrabo , quam nautæ solent sereno Castoris & Pollucis sidere conspecto. Admittite , quæso , **VIRI EXCELLENTISSIMI**, meam hanc fiduciam & certo persuasum habete , haud in immemorem hominem tantum beneficium collatum iri. Efficiam certe omnibus viribus, ut cognoscatis nihil mihi prius nihil antiquius fore, quam ut Vestro patrocinio omni pietate & obsequio dignum me præstare annitar. **DEUM** autem precor, ut **VOS** , Vestrosque , incolumes omnique felicitatis genere florentes , quam diutissime conservet. Ita precor & voveo

Prænobilium Excellentiarum Vestrarum

Altorfii Norimbergensium

a. d. XXVII, Junii,
el cc xxxii.

Devotissimus cultor

AUCTOR.

DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS MEDICA
DE MEDICAMENTIS ANTIMONIALIBVS.

P R A E F A T I O .

ADmirationem non injuste movet magna mutatio Pharmacopolorum , quæ inde à ducentis circiter annis contigit , Affirmare audeo , quod optimus Pharmacopœus , qui ante duo adhuc secula vixit , si hodie revivisceret , vix pro mediocri tirone habendus foret . Si quis dubitet de veritate asserti mei , illum rogo , ut inspiciat dispensatoria pristina , e. g. Augustana Pharmacopœa primas editiones , aut dispensatorium VALERII CORDI , eaque cum novissime editis conferat : ita oculis suis cernet , quam multa veteribus iſtis superaddita , in officinis regnent , ita ut antiquæ medicinæ , electuaria pleraque , species multæ , Syrupi plurimi , non alium in finem proſtent , quam ut forte decimo vel vigesimo quandoque anno desideranti talia ostendi poſſint , & ſi effætis ac mardidis medicinis uti omnino velit , pro ſuo argento dari queant . Tam verò insignem mutationem attulerunt illi artis medicæ & pharmaceuticæ professores , quos amor & admiratio Chymie cepit , eaque arte elaborata , quoniam plerumque exiguis dosibus offeruntur , tedium aſſumentium consulere docuit . Forte tamen haud ullam clafsem medicamentorum chymicorum numerosiorem invenies illâ , que

A 2

ex

ex antimonio procedentia complectitur. Mira fuit hujus mineralis fortuna, quod, à veteribus leviter commemoratum, simul quasi ac semel in scenam prolatum est, omnianque Pharmacopelia implevit, non obstante zelo saluberrime Facultatis medicæ Parisiensis, ex centum circiter doctioribus fama & auctoritate inclytis constantis, qui unanimi consensu illud damnaverunt, & Parlamentum Parisiense permoverunt, ut publice proscripteretur, unus cum medicis, qui illud in usum vocare præsumpsissent, nec decreto suo posthac obedientiam præstare vellent. Enim verò major antimonio virtus fuit, quam saluberrimæ Facultati sapientia, aut Parlamento auctoritas: vicit invidorum iras, minas, furorem, potentiam, ut magnos gravesque morbos, recte adhibitum, vincere solet. Ubi que nunc regnat, & per ipsam Galliam triumphat, editisque in regni ipsius metropoli libris honori suo abunde restitutum est. Quare mihi de specimine inaugurali sollicito, inter multa alia maxime hoc thema de Medicamentis antimonialibus arrisit. Nolo autem omnibus passim laudatis & descriptis ex hoc minerali remediiis operam nunc impendere. Sed de maxime celebribus aliquas theses exhibeo, quibus aperiam, quid probatissimis auctoribus & recentissimis præeuntibus, de illorum verò pretio & estimatione, respectu practicæ utilitatis, tenendum videatur. Si quid de præparatione interspersum fuerit, ut lectori non ingratum fore spero, ita tanquam superponendum illud accipendum rogo.

THESIS

THESIS I.

Antimonium est minerale ex substantia metallica incompleta & multo sulphure constans.

Hoc sulphur à vulgari nulla re differt ; quod probari potest multis experimentis : quæ videri possunt apud KUNCKELIUM *laboratorii chym. part. 3. cap. 33. Substantia metallica* vocatur , quia fusibilitate & splendore metalla æmulatur ; *Incompleta* , quia malleabilitatem non habet, sed fragile permanet. Eandem alii *mercurialem* , *arsenicalem* aut *regulinam* appellant. Et *mercurialem* quidem, quia magna ejus portio in verum mercurium currentem redigi, per enchirises chymicas, potest : *arsenicalem* , quia, non fucus ac arsenicum , vi ignis diffilatur, & in auram avolat, bacillis autem ferreis admotis tunc alba quedam pulverulenta materia , perinde ut ab arsenico, adhaerescit, quæ viribus etiam proxime ad arsenicum accedit; ut nunc alias etiam convenientias sicco pede præteream : *regulinam* denique, termino fusoriis officinis familiari , dixerunt: ibi enim regulus id vocatur , quod superstantibus scoriis sincerum & purum in fundo subjacet, & post refri- gerationem inde separari potest.

THESIS II.

Antimonium crudum (hoc est nullam aliam mutationem passum, quam quod à lapidea ma- teria, cui inhærebat, vi ignis in ollas supo- sitas eliquatum fuit) non est venenum, sed medicina laudabilis.

A 3

Hæc

Hæc Thesis ante hos sexaginta annos à plerisque, si non ab omnibus, medicis scholis negabatur, communisque erat persuasio antimonium esse deleterium venenum. Primus forte JO. KUNCKELIUS, haud mediocris vir in chemia, publicè (in corpore suo aliisque ægrotis, feliciter antea sumitis experimentis) evicit, quod in antimonio crudo sit virtus medicinalis, laude & commendatione dignissima; de quo vide *labor: Chym. Part. III. Cap. 32.* quod totum historiis huc pertinentibus constat. Sed ante KUNCKELIUM non omnino, ab hoc vel illo privato & practico, ignoratum fuisse hunc usum, vel inde discimus, quod ibi commemorat sibi à SENNERTO ostensum fuisse auctorem, qui commendaverit illius usum, & casu practico confirmaverit; Italem autem fuisse, qui usum ejus suaserit. Quod mihi occasionem præbet suspicandi ab antiquo jam antimonii virtutem in hac gente cognitam fuisse, & experimentis comprobatum: quippe JO. PLATEARIUS, qui saeculo XII. inter Salernitanos vixit & multa laude floruit, annotat curationem quandam per antimonium & cicadas pulverisatas à quodam clericō, in Provincia, ni fallor, Apulia peractam. Quicquid sit de eō, empiricum potius quam rationalium medicorum scholis & libris cognitum remedium, usque ad KUNCKELII tempora, manet, magisque veterinariis, ut porcis objiceretur, quam hominibus ad salutem offerretur, margarita haec digna æstimabatur.

THEISIS III.

Agit autem antimonium crudum parte sui potissimum sulphurea.

Notanter in hanc rem scribit Illustris STAHLIUS, aut saltem libellus germanicus sub ipsius nomine *Dresde 1728. in octa-*

octavo publicatus, sub titulo: *materia medica, das ist / Zubereitung / Kraft und Würkung derer durch chymisch e Kunst erfundenen Arzneien*: Cujus pag. 117. sequentia legitimus: *Das rohe Spiegelglas verrichtet nichts mehrer als der Schwefel/ wenn man ihn an gehörigem Orte und in geziemender Masse/ zu verordnen weiß. Das Spiegelglas wircket in so weit noch gelinder / als der Schwefel/ alldie- weil sein schweflichter Theil mit dem regulinischen mercklich verbunden/ und nicht so frey wie im gemeinen Schwei- fel ist.* Nam regulina ipsius portio à sulphure, non secus ac gladius acutus in vagina, reconditur, cohibetur & impeditur, quo minus possit libere agere, & vicissim sulphur à regulina portione aliquatenus ligatur, & detinetur. Dari potest adulto homini scrupulus unus ad drachmam dimidiam: quamvis melius est à minori dosi incipere, sensimque per gradus aucta atcendere. Exstant in *dispensatorio Brandenburgico* descripti *morsuli restaurantes* KUNCKELII, qui hunc pul- verem, jucundo nec inutili condimento, gratiorem efficiunt. Enim verò vix video aut penetrare valeo, quem effectum habitura sit decoctio antimonii crudi in petia ligati; quemadmodum ab aliis satis parce, ab aliis verò larga manu, ordinatur. Aqua certe simplex, nec respectu sulphuris, nec regulinæ substantiæ, commodum & adæquatum est menstruum; unde prorsus inutilem, etiam si innoxiam, hanc antimonii decoctionem existimo. Nullo enim experimento probari potest, quod vel minimum virtutis antimonialis in aquam decoctam migret. Objicitur autem antimonio pul- verisato, quod gravitate sua ventriculum premat, variaque incomoda afferat. Eam quidem accusationem suo loco relinquo, & nolo fidem honestorum virorum, qui de illa testimonium perhibent, in dubium revocare. Si quis igitur evitare illa incomoda velit, non certius aut facilius id poterit,

poterit, nisi ipso sulphure communi exhibito ad pauca grana, quatuor vel quinque: hæc enim si continuato usu offendrantur, & regimine debito, ac infuso diluente & resolvente adiuventur, omne illud beneficium naturæ juvandæ & in ordinem redigendæ præstabunt, quod ab antimonio ipso crudo expectari unquam potest.

THESIS IV.

Ab antimonio crudo viribus & efficacia vix distat sic abusive dictus regulus antimonii medicinalis, quem alii febrifugum *Craanii* vocant, alii panaceæ nomine dignati sunt, alii magnesiam opalinam salutant.

Ratio asserti nostri in eo potissimum sita est, quod in sic dicto regulo medicinali habemus integrum antimonium, partem scilicet ejus sulphuream & regulinam, modo alia forma & habitu externo circumdataum. Admodum variæ ejus reperiuntur descriptiones, quas hic colligere & exhibere, nec spatium nec institutum nostrum permittit. Legatur docta sanè dissertatio, quam Dominus Lic. J. S. CARLIUS de hoc regulo, sub præsidio FRID. HOFFMANNI, Halæ edidit. Communissimus parandi modus ille est, quo assumuntur antimonii crudi partes quinque, salis communis partes IV. salis tartari pars I. Sic enascitur scoria pallida, sal commune assumptum continens, sub qua materia fusca, fragilis & resplendens, reperitur, quam reguli rubri, aut medicinalis, nomine dignati sunt. Vix non omnes ejus virtutes à sale culinari addito derivant, insigni sanè fallacia. Nam manifestum est, quod ab illo prorsus nihil mutuerur. Si quis enim supra indicatis ponderibus misceat antimonium crudum

dum cum sale tartari, eadem omnia, excepta scoria, repor-tabit, si rite colliquaverit. *In commerc. litterar. Phys. medico Spec. X. pag. 74.* commodissimus & securissimus modus com-mendatur, qui procedit partes antimonii quatuor cum uni-ca nitri, tenuissime pulversatis ambobus, miscendo, & in crucibulo frigido prunis imposito, deflagrando. Quin Do-minus DIETRICUS ibidem pag. 133. adhuc minorem nitri quantitatem, scilicet unicam ad partes octo, adsumit, indeque magnesiam opalinam optimam promittit. Novi etiam aliquos, qui ex pice, nitro & antimonio mixtis, & in cru-cibulo deflagratis, pulcherrium regulum medicinalem pa-rant. Omnim rationes ad unum decurrunt scopum. Sci-liset dum antimonium cum sale tartari fluit, sulphur ejus ar-tripit sal alcali, & cum eo in hepar, ut termino chymicis re-cepto utar, abit. Quum verò non adsit sufficiens quantitas omni sulphuri obsaturando, regulina portio non cadit, sed ab acido sulphuris quadantenus liberato & explicito solvitur, inque vitrum fragile, seu substantiam scoriformem, transit. Hæc verò in laudata proportione talis est, ut nec gustum ulla sapida qualitate, nec olfactum odorabili, afficiat, neque menstruo aqueo aliquid impertiatur. Nam quicunque re-gulus medicinalis gustum & olfactum ferit, vel in vitro, quo tritus asservatur, salinos flosculos apponit, ille inse-curus est, & facillime vomitus excitat: scilicet eam ob cau-sam, quod nimis multum salis alcali accessit, quod vitrum hoc, sui generis, solubile facit, ut portio regulina pro sua indole operari possit. Id facillime accedit cum illo regulo, quem addito sale communi, ut ferè omnes officinæ solent, paravimus: hincque factum puto, ut passim regulus hic ma-le audiat, &, ob incertam operationem, proscribi cœpe-rit. Id verò non facile metuendum est ab illo, qui cum so-lo sale alcali, aut nitro, paratur, nisi eum super porhyrite

B

diutius

diutius teras & exsiccationem retardes. Narravit mihi vir curiosus in his rebus, quod aliquando hunc regulum, cum solo alcali paratum, tenuissimè triverit, & experimenti capendi causa, multam aquam superfuderit, sicque in vitro commodo super fornaceim calidam reposuerit. Cum post unum vel alterum diem aquam exploraret, nihil ipsi inerat, quod vel gustum vel odoratum afficeret: omnis autem pulvis regulinus, antea tenuissime comminutus, ita in unum frustum coierat, ut non minus durus esset, quam à fusione, inque frusta splendentia frangeretur. Nova igitur comminutione æquè tenerum pulverem faciebat, & iterum affusa multa aqua, fornaci calidae per biduum imponebat; quo facto jam odor, ad sambuci folia proximè accedens, conclave implebat, aqua superstans ad rubicundum inclinabat, & multam convenientiam cum solutione scoriarum antimonia利um ostendebat, pulvis jam non arcte compactus apparebat: sed omnino digitis friabilis erat: exsiccatus & in vitro asservatus, gravem odorem spirabat: lateribus efflorescentias salinas apponebat, intus datus vomitum concitatbat. Ex quo apparet non satis consultam esse reguli medicinalis tritura super porphyrite, affusa aqua, institutam: itemque pulverem semel tritum ab aere humido cum tempore posse aliiquid trahere, & in se recipere: quod tanto minus est mirandum, quum etiam vitra quadam longo tempore ab aere humido aliiquid trahant, à quo fissuræ superficiales initio oriuntur, postea verò totius vitri in pulvrem fatiscentia consequitur. Usus potissimus reguli antimonia利i medicinalis hic est, quod ingreditur *pulverem alexipharmacum Rollwagii*. ejusque tanquam basin constituit, Is pulvis per tractum Hohenloicum & vicinam Franconiam valde celebris est, & ad febres acutas epidemias laudatur. Per se autem adhibitus diaphoresin satis conspice auget. Cum mer-

mercurio dulci junctus in morbis lymphæ vitio attributis
egregios effectus edit, scabiem pertinacem, ulcera antiqua,
tumores duros emendar. Quoniam hic pulvis reguli me-
dicinalis, perinde ut antimonii crudi, gravis est, & venter-
culum mole sua, præsertim usi diutius continuato, gravat,
præstat adhibere sulphur antimonii diaphoreticum, quod fit,
si tecum aqua calcis vivæ coquitur, & deinde præcipitatur per
aliquod acidum. Tenuissimus hic crocus valde insigne præ-
bet diapnoicum. De Tinctura ex hoc regulo inferius erit
dicendi locus. Plura de hoc regulo cupientem, remittimus
ad JO. JACOB. ROCKII Dissertationem de Chymiatrisa super-
stitionis pag. 37. seqq.

THESIS V.

Crocus metallorum est pars antimonii regulina,
sulphurea per nitrum, æquali portione ad-
ditum & deflagratum, maxima sui parte
consumpta.

A regulo sic dicto medicinali, quem plerique verum
erorum metallorum RULANDI existimant, merito transimus
ad illum, qui in officinis tali nomine venit. Substantia
brunna, quæ post detonationem emergit, vocatur *Hepar*
antimonii, inque eò differt à regulo medicinali, quod facile
ab affusa aqua dissolvitur, quippe quæ interpositas nitri par-
ticulas imbibit, quo facto pulvis brunnum remanet, valde
vomitorius. Quia gravitate sua ventriculi villis tenacius im-
pingitur, difficiliusque vomitu ejicitur, non facile in sub-
stantia hominibus offertur. Mira est differentia hominis &
canis, respectu hujus medicinæ. Quum enim homini à pau-
culis granis, tribus vel quatuor, intolerabiles anxietates, &

B 2

ple-

plerumque hyperemeses, orientur, cani integra drachma, quin plures, dari possunt, unde vix vomunt, sed ferè tantum per inferiora purgantur. Equis uncia, & amplius, à veterinaris toto die præbetur. Homini illis casibus convenit, quando venena narcotica assumpta sunt: aut ubi ordinaria emetica mitiora effectum nullum edunt, quod in maniacis quibusdam usu venire solet. De infusione croci metallorum inferius dicam, ubi ad vitrum pervenero.

THESIS VI.

Antimonium diaphoreticum est pars antimonii regulina, fusione & calcinatione per nitrum, & hinc interposita terra nitri, in tantum mitigata & involuta, ut vim vomitoriam de-
posuerit.

Proxime subjungimus croco metallorum hoc antimonium diaphoreticum, quoniam antiquissimi auctores chymiae pharmaceuticæ hoc ex illo parare jubent. Scilicet croco jam edulcorato & exsiccatu aequale pondus nitri addunt, detonant, edulcorant, iterum exsiccant, & novo nitro addito detonationem ac nitri elutriationem tertia vice repetunt. Nostro aeo inutilis illa temporis & laboris jactura existimatur: quin potius antimonium cum triplo nitri in candens crucibulum successive ingeritur, siveque unica detonatione, calcinatione per horam, deinceps sufficienti edulcoratione, res longè compendiosius absolvitur. Illustris STAHLIUS mavult ad duas antimonii partes tres nitri adjicere, siveque suum, quo utitur, antimonium conficit. Vide supra laudatum libellum chymicum pag. 141. ubi simul utiles cautelæ suppeditantur, quibus observatis evitari potest virtus,

virtus emetica , quæ aliquando in hoc præparato , minus dextre facto , animadversa est . Quamquam & illud insuper providendum moneri posset , ut nitrum probum & purum adhibeatur : quo uno neglecto , si cetera omnia curiosissime observaveris , tamen antimonium diaphoreticum ab hoc vi-
tio haud immunit impetrabis .

THESIS VII.

Nullum est dubium , quin antimonium diapho-
reticum viribus diaphoreticis positivis pol-
leat , magnamque præ absorbentibus ter-
reis prærogativam tueatur .

Fuere in Anglia primum , deinde in Germania etiam nostra , qui asserere auderent inutilem calcem esse hoc antimonium diaphoreticum , neque plus illo effici posse , quam si quis fistulam , tabaci fumo fugendo destinatam , in pollinem redigat , aut lapides cancrorum , vel quodcunque simile absorbens , exhibeat . Hos verò vel illud solum refutare debebat , quod antimonium hoc diaphoreticum , etiam optimum , teneris personis majuscula dosi exhibitum , sæpe vomitorios conatus , in actualem vomitum subinde desinen-
tes , excitet : quod in teneris infantibus minime rarum est . Jam verò illud perpetuum est , quod medicinæ , vomitoris viribus pollentes , minima dosi exhibitæ , aut alias cicurataæ , non nisi sudorem , prævia aliqua anxietate , excitent . Illud verò à meris absorbentibus nunquam observatur , etiam si excessiva dosi assumta fuerint . Quare circumspecti practici adeò non contemnunt hoc antimonium diaphoreticum , ut potius in morbis infantum , itemque adulorum , febri ma-
ligna decumbentium , & in genere ubicunque blanda & con-

B 3

tinua

tinua diapnoe requiritur, plurimum illius usui semper tribuant. Videatur iterum jam bis laudatus libellus Stahlianus pag. 140.

THESES VIII.

Nitrum antimoniatum de antimonio quidem parum participat, minus autem est inflammabile, quam aliud nitrum, & plus ad naturam salium mediorum accedit.

Nitrum hoc subjungimus croco metallorum & antimonio diaphoretico, quia utriusque processus quasi paragon est. Nam dum nitruim aqua affusa calida ab utrisque educitur, impetrari potest, si lixivia hæc, sufficienter exhalata, in locum frigidum reponas & quiescere sinas, donec crystalli concrescant. Non omnino expers esse tale nitrum particularum antimonialium, docet præcipitatio, & attestatur KUNCKELIUS *laborat. chym. pag. 471.* Inde forte pendebit aliquis vis diapnoica: unde anodinum minerale à quibusdam nominari meruit. Inflammabilitatem magnam partem periisse tali nitro, iterum per experientiam constat: nec rationem illius jaeturæ indicari valde opus est. Salis medii natura ipsi affricatur inter desflagrandum, dum pars terræ alcalicæ, qua in nitro est, cum acido sulphuris incensi coit, & in sal enixum degenerat. Apparet inde nitrum hoc in plerisque casibus, ubi transpirationem per antimonium diaphoreticum expedire vel restituere volumus, utilissime jungi, quum magnopere ad eundem finem conspiret: nec tanto studio opus esse, ut omne nitrum ab antimonio separremus. Illud forte etiam non inutiliter addidero, medicum in præscribendo hoc nitro, schedis suis consultius ap-

pin-

pingere signum illud chymicum , quod nitrum denotat , quam integris litteris vocem exprimere , propter magnam convenientiam , quæ inter *nitrum & vitrum* intercedit . Notus mihi est casus ubi senex practicus , manu tremula , in sche- da præscriperat nitrum antimon . quumque ineptus phar- macopœus vitrum pro nitro receperit , nobilissimæ & ve- nustissimæ virgini mortis causa hinc enata , pharmacopœo infamia inusta fuit .

THEISIS IX.

Antimonio diaphoretico longe subtilius & effe-
ctu mitius est ejus magisterium , quod &
materia perlata dicitur , & ex lixivio anti-
monii diaphoretici per præcipitationem ac-
quiritur .

Curiosum est , quod omne antimonium diaphoreticum
succesive in aquæ poros recipiatur , sic , ut cum illa per fil-
trum quodvis penetret , modo satis decoquatur , illa me-
thodo , iisque circumstantiis , quas KUNCKELIUS laborat ,
chym. pag. 471. commonstrat . His limpissimis solutioni-
bus , si acidum instilles , illico lactescunt , satisque longa in-
tercedente mora tandem subsidet pulvis albissimus , anti-
monio diaphoretico longe subtilior . Quoniam verò hic pul-
vis intimius cum terra nitri mixtus est , quam antimonium
diaphoreticum , effectum etiam edit minus sensibilem , &
nullam nauseam aut vomitionem excitat . Antimoniale
tamen esse illum , ex eo apparet , quia in regulum iterum
conflari potest . KUNCKELIUS observat ex antimonio
diaphoretico mercurium currentem adhuc impetrari posse :
ex materia perlata nullum ullo pacto : atque hinc naturam

anti-

antimonii declarat : de quo ipsem̄ c. l. legi meretur. Idemque auctor suadet, ut lixivium antimoniatō nitro impragnatum ab iis, qui pulverulenta fastidiunt, intus sumatur ; quod consilium, uti non contemnendum videtur, ita miror, cur non in usum vocatum sit. Si quis tentare velit, illi cavendum erit, ne acida miscenda jungat, sicque præcipitationem inducat.

THESIS X.

Antimonium diaphoreticum utiliter jungitur purgantibus, eorumque vires excitat & exaltat, sic ut minima dosis plerumque effectum æqualem satis magnæ doseos edat.

Huic fundamento nititur celebris ille pulvis, quem horribili nomine aliqui vocant *trium diabolorum*, alii à Comite de WARWICH denominant, plurimi pulverem CORNACHI NI appellant, à *Marco Cornachino*, Professore Medico Pilano, qui methodum scripsit hoc solo pulvere plurimos corporis humani morbos profligandi. Componitur ex scammonio, antimonio diaphoretico & crystallis aut cremore tartari. Ab hoc, si ipsam rem fateri volumus, parum diversus est, ille monstroso nomine dictus *pulvis diaclataesson* HELMONTII, qui ante paucos annos frequentari caput. JUNGKENIUS in *corpo pharaceutico p. 216.* testatur, si quis radicis gialappa decem granis tria vel quatuor antimonii hujus jungat, operationem emergere, qualem vix ab integro scrupulo ejusdem radicis expectas. Idem usu venit si tartarum emeticum antimonio diaphoretico jungimus. Sic enim duo grana tartari hujus, cum quinque vel sex antimonii diaphoretici, satis validam operationem edunt, & plerumque alvum simul dejicere faciunt.

THE-

THESIS XI.

Vitrum antimonii est pars ejus regulina , sulphurea inflammabili omni prius per longam & patientem calcinationem in auras propulsa , dein fortí igne colliquata , virtute emetica potentissima pollens .

Diversæ exstant descriptiones modi illius , quo vitrum hoc parari debet . Ipsumque vitrum , pro eo ac magis vel minus antea calcinatum fuerit antimonium , plus vel minus diaphanum , respectu etiam coloris , vel succineum , vel Hyacinthinum , vel inter hos colores medium , prodit . Nescio an tempestas magis vel minus serena multum hic contribuat : sunt certe non pauci , qui aliquid hic querunt . Si quis usum potius medium , quam elegantiæ ostentationem , querit , (quod facere HIPPOCRATES noster jubet medicos) facile contentus esse potest vitro antimonii , qualemunque post justam calcinationem emergit ; nam colores ad essentiam rei non pertinere , sed accidentale quid esse , omnibus notum & confessum est . Hoc interim notamus , præente Stahlio , quod vitrum magis saturate & obscure coloratum , alio minus saturato , magisque pellucido , majorem vim emeticam possideat . Interne vix præbetur , nisi casibus quibusdam extraordinariis , quos notavimus quum de croco metallorum ageremus : quamquam in vitro hoc , intus in substantia præbendo , major etiam cautio esse debet : quo magis compacta & solida ac gravis ejus est consistentia , villisque ventriculi pertinacius inhæret .

THESIS XII.

Ex croco metallorum , & vitro antimonii , multa

C pro-

procedunt emetica, quæ, tam liquida, quam
solida, forma in officinis prostant.

Scilicet adsunt 1) *vinum emeticum*, quod & aquam benedictam Rulandi vocare solemus. Id paratur si super croco metallorum, aut vitro antimonii, vinum album per noctem stet infusum. Ad uncias duas, aut ad sumnum tres, vini, assumuntur grana quinque croci vel vitri prædicti: quamquam & major horum portio non valde nocet, modo vini justa quantitas observetur: quippe quod non plus recipit in poros suos, quam quod replendis illis sufficit. 2) *Syrupus emeticus & oxyfacharum emeticum*, fiunt, vel crocum metallorum, vel vitrum antimonii, infundendo aceto vini (pro quo *dispensat: Brandenb.* vinum assumere jubet) & deinceps cum facharo & aromaticis quibusdam, pro majori tantum gratia additis, ad consistentiam coquendo. In ejusmodi remedii dosis accuratissima præscribi vix potest. Offertur initio mediocris, e.g. drachmæ duæ: quibus nihil, aut non satis, moventibus addatur drachma, & si opus fuerit, amplius. 3) *Sapa vomitoria Sylvii*, quam alii vocant *Tilemanni*, à medico Bremensi, discipulo Sylvii. Fit, quando mustum, aut succum cydoniorum vel malorum redolentium, uni ex prædictis infundimus, per diem noctemque digerimus, tandemque colataram claram ad consistentiam syrapi inspissamus. Sic drachmæ duæ vel tres offerri possunt: teste D. D. CHRISTIANO JO. LANGIO *Opp. med. p. 749.* Si verò evaporationem ulterius, usque ad consistentiam extracti, prosequimur, duo vel tria grana sufficiunt, vel forma pilularum offerenda, vel aquis idoneis diluenda. Mirum est quantum Sylviani huic remedio tribuant, quod vel ex adjuncta descriptioni ejus in *dispensat: Brandenburg* admonitione patet. Minimus usus est vomitorius, longe præclarior diapnoicus, qui à continuato usu refracta

&æ doseos promittitur , & non vana spe reportatur. Ea enim est antimonialium indoles , ut, quæ prima forte dosi nauseam, vel vomitum etiam , moverunt, eadem repetitis dosibus iisdem mitius agant , & patienti continuatione morbos gravissimos, insensibili modo, superent. 4.) *Aqua vita vomitoria.* Non tanquam officinalem hanc recenseo, quæ ubique prostet, sed tanquam facile parabilem, si quis aquam aliquam spirituofam, aut spiritum vini, debita proportione misceat syrupo emeticō, sapæ vomitoria, aut infusioni croci metallorum, vel vitri antimonii, pro parando tartaro emeticō factæ. Inservire potest illis, salutis suæ causa, fallendis , quibus emeticō opus est, quod tamen admittere nolunt. Sic novi puerperæ, subito maniacæ factæ, quæ nihil remediorum adsumere volebat, eo fuisse consultum, quod medicus, quum illam spirituofos potuīs antea expetiisse intellexisset, vomitorium efficax sub tali specie ordinasset. 5.) *Tartarus emeticus.* Tartarus est sal essentiale acidum vini. Illum, in aquæ sufficiēti quantitate solutum , superfundunt croco metallorum, aut vitro antimonii pulverisato, & vel satis diu digerunt, vel leniter decoquunt ; quo facto filtratur liquor limpidus adhuc calens, & ad crystallisationem reponitur. Sic fit ut crystalli salini, qui concrescunt, virtute emetica antimonialsi polleant, omnemque operationem absolvant absque illo incommodo , quod à gravi pulvere antimonialium istiusmodi alias persentitur. In genere autem notandum est, quod ille tartarus emeticus , qui ex infusione croci metallorum processit, debilior sit illo, qui fuit ex vitro antimonii factus. Deinde, quod vix unquam accidat, ut unus tartarus emeticus altero æquè validus emergat. Quare pharmacopœus, quoties novam ejus quantitatem paravit, monere de eo deberet medicum, ut experimentum prius cum dosi exigua aut mediocri capiat, donec de præcisissimis viribus ipsi constet. Medicum autem,

tem, quoties illum ex officina nondum cognita præscribit, oportet circumspectum se gerere, ne forte, in efficacem tam incidens, operationem spe & intentione sua majorem consequatur. Exstat quoque in *collect. chym. Leidenſ. P. 446.* c. 480. descriptio tartari emeticī, quae fit cum sale tartari, cuiusque auctor est celeberrimus Marggravius. Hujus dosis præscribitur ad gr. X-XX. quum ordinarii officinalis dosis summa ordinarie esse soleant grana quatuor vel quinque, ut plurimum tria sufficiant. Nescio an alicubi ille sit officinalis: illud certe habebit incommodum, quod facile ad liberum aërem liqueſcat. Cavendum interim, ne quis, auctoritate Marggravii, ordinarium tartarum emeticum eadem quantitate ordinet, sicque homicida fiat.

THESIS XIII.

Regulus antimonii, seu pars ejus metallica pura & resplendens, sive simplex, sive compositus, in medicina facienda parum adhibetur, sed laboribus potius aliis chymicis porro inserit, & diversa producta largitur laude utique digna.

Infinitæ prostant descriptiones horum regulorum, quas si quis experietur, succelsum eundem non habiturus est, respectu quantitatis reguli impetrati. Si quis regulum multum expetit, & in scoriis nihil querit, ille sequatur methodum KUNCKELII *lab. chym. P. 455.* descriptam, secundum quam calcinatio fit eodem modo, ac si vitrum parandum esset; tum verò caliginatus is pulvis pinguedinibus, sive vegetabilibus, sive animalibus, imbuitur, admixtis carbonum minutiis, tandemque, pro tenuiori fluxu conciliando, nitrum adjicitur: aut,

aut, pro majori operis compendio, & temporis lucro, ad dictum STAHLII l.c. pag. 151. seqq. assūrat statim crocum metallorum RULANDI, illiq̄ue carbonum pulverem jungat, salemque communem superponat, & igni fusorio committat. Quod si scorias multas expetit, & ex iis sulphur parare cupit, melius est antimonium crudum cum nitro & tartaro crudo tractare. Sic impetratur regulus antimonii simplex: ex quo, cum triplo nitri detonando, idem antimonium diaphoreticum parari potest, ac fit ex crudo; cui tamen peculiare nomen ab aliquibus tribuitur, scilicet *cerussa antimonii*. Si verò in pulverem redacto spiritum nitri affundas, eumque destillando per retortam abstrahas, compendiosissime parabis illud sic dictum *bezooarticum minerale*, quod majori sumtu, & longioribus ambagibus, ex butyro antimonii alias parandum præscribitur: Vide STAHLIVM c.l.p. 154.

Ex scoria, præsertim illa, ubi regulus cum nitro & tartaro paratus est, porro conficitur, mediante aqua calida, lixivium, quod ZWELFFERVS commendat, tanquam *remedium optimum in ulceribus exedentibus magnis tibiarum & pedum sanandis, si singulis diebus hora una vel altera, pedes & crura exulcerata illi immergantur*. Mirum est, inquit, quam viscosam materiam, veluti gluten, extrahat, ut etiam ligneo vel ferreo instrumento illud detergere vel abradere necessum sit, quod multoties effectu ipso, ac felici successu, comprobavi. Non est dubium quin hæc medicina cautionem insignem requirat, ob notam vim sulphuris, quo potissimum agit, repellentem. Quod verò apud eundem ZWELFFERUM sequitur, etiam GLAUBERI, huicque subscriptum multorum, calculo comprobatum est: *In menstruis retentis ex solutione hac lateribus calcactis aspersa, fumus ab infra (per instrumentum infundibuliforme) suscepimus, præsens fert auxilium* Relatum mihi est empiricum quendam ante aliquot annos, hoc remedii generere

nere multos podagricos , qui topho obsessos articulos habebant , insigni suo lucro , solatum fuisse , mirantibus ægrotatis & adstantibus quantam visciditatem ex poris hac ratione successivè extraheret . Quum vero podagra tam facile intra corpus pellatur , & sulphurea potentissime repellant exterius adhibita , nemini equidem auctor esse velim , ut illum imitetur . Si quid tentare utique visum fuerit , extra paroxysnum fieri , & omnia circumspete agere , oportebit . Si lixivium hoc per affusa guttatum acida præcipitatur , in fundum cadit quidam pulvis coloris aurantii , quem vocant *sulphur antimonii auratum* . An aurum possideat , meum non est hic exponere : potissimum ejus partem ex regulinis portionibus , ab alcalino inter fundendum corrosis , constare , indubium fit , si edulcoratum hunc & exsiccatum pulverem cum carbonibus misceas , & , ut fit in regulis methodo Kunckeliana parandis , tractes . Eadem si triplum nitri addas , detonando accipies antimonium diaphoreticum . Si lixivium hoc leni calore , ne concrescat , aliquamdiu detineas , sponte subsidebit pulvis crassior , quem removere oportet una cum illo , qui a primis instillati acidi guttis decidit . Si deinde claro iam facto liquori instilles novum acidum , eadet sulphur auratum subtilius & minus violentum emeticum , quod potissimum agit virtute diaepnoica insigni . De sulphuris aurati virtute antivenerea insigne testimonium præbet D. D. KLAVNIGIVS in *Actis Physico-Medicis Acad. N. C.* specialiorem usum , ad catarrhum suffocativum repellendum , scilicet ad externam superficiem propellendo noxios humores , qui pulmonem confertim petunt , declarat D. D. ROEMPLERVS in dissertatione inaugurali de hac medicina conscripta & multis observationibus referta . Aliam methodum hoc sulphur præparandi , ut sit parergon tinturæ antimonii tartarisatae , edocet D. D. ROTH in *manuductione ad chymiam* . Fere omissem illum reguli

guli antimonialis usum , quo adhibetur fundendis *poculis vomitorii* , addita stanni debita portione . Sed hoc artificium hodie , ni fallor , omitti cœpit . Itidem inter nostrates omis-
fus ille mos fundendi ex illo , vel tornandi , *pilulas perpetuas purgantes* , quas , peracta operatione , abluunt , & , usu iterum postulante , deglutiunt . Ut & nemo talibus globis , in cura-
tione passionis iliaca , peculiarem efficaciam tribuet , quum
globus unus & alter sclopetarius , ex plumbō scilicet fusus ,
pondere suo idem præstet : quibus , si quis pro divite avaro
substituere velit aureos , & lucri bonum odorem ex re fœda
non reformidet , pactione necessaria sibi tempestive , per me li-
cet , prospiciat .

THESES XIV.

Regulus antimonii martialis , rite paratus , de sub-
stantia martis nihil , vel adeo parum , ut vix
intelligi & ostendi possit , participat : vene-
reus de tintura cupri rubedinem aliquam
trahit jucundam : stannum omnium facil-
lime cum regulo sese miscet .

Fieri quidem solet , ut ferrum copiosius sese insinueret re-
gulo , sed tunc emergit crassus , minus resplendens , & vix
stellam , quam in bono regulo martiali desideramus , lucere
permittit . Unde depuratione opus habet , quæ , addita por-
tione debita novi antimonii & nitri , peragitur , tamdiu , do-
nec stella pulcre & ex voto appareat . Talis regulus martialis ,
ex consilio Ill. STAHLII l. c. p. 150 adhiberi potest para-
ndo antimonio diaphoretico , ut omnino non differat ab alio .
Si itaque talis adhibeatur confiendo antimonio diaphoreti-

co joviali, sive *antihæctico Poterii*, fieri omnino bene potest ut emergat pulvis albissimus ad cœruleum inclinans, a rubidine alienus : quod nuper virum quendam doctum torsit, qui non intelligere se posse, quomodo pharmacopœus ex regulo martiali & stanno parare talem possit, qui a rubidine fit remotus, publice professus fuit. Regulus venereus, quantum memini, in pharmaceutica chymia nullum usum præbet, nisi quod, cum martiali colliquatus, & deinde in scorias succineas redactus, parandæ *tincturæ metallorum* inseruit. Regulus denique jovialis, cum martiali, ille est qui parando *antihæctico Poterii* destinatur : quod omne remedium hodie a viris chymia peritis parum amplius desideratur, eamque fidem promeruit, ut potius hæticam, ubi nondum adest, producere, quam præsentem curare possit : de quo passim in scriptis Stahlianis legitur. Ex scoriis tandem reguli antimoniī martialis parari potest *Crocus martis aperitivus STAHLII*, de quo in scriptis ejus ampla commentatio reperitur,

THESIS XV.

Tincturæ antimoniī variæ iactantur & describuntur, de quibus chymici nondum idem statuunt : plerique credunt illud omne, quod hoc nomine describitur & exhibetur, ab antimonio satis parum vel nihil traxisse.

*Tincturæ antimoniī, quæ officinis innotuerunt, vel cum acido parantur, vel per alcali obtinentur. Et quidem satis multæ tales leguntur a JVNGKENIO *in corp. pharmac. chym* collectæ. Menstruum alii adhibent spiritum viridis æris, alii sic dictum spir. vitrioli philosophicum, alii denique acetum de stil-*

stillatum, per spiritum vitrioli acutius redditum. Quodcunque horum elegerunt, superfundunt vitro antimonii pulverisato, & digerunt, donec rubedine tinctum sit: deinde effundunt & menstruum avocant destillando ad mellaginem, ex qua deinceps per spiritum vini tincturam extrahunt, purificando sanguini per diaphoresin commendatam, ad guttas paucas offerendam. Si rem recte astimamus, menstruum acidum in se recepit virtutem emeticam, quæ per spiritum vini aliquantulum mitigatur, non penitus aufertur: unde tam exigua dosis præscribitur. Agit igitur instar aliorum antimonialium, quæ magna dosi vomitum procurant, minima diaphoreticum effectum præstant. Qui cum alcali illam, & spiritu deinceps vini, conficiunt, omnes ad eundem scopum feriunt, quamvis alii majori propiorique compendio, alii per longas ambages, incedunt. STAHLIUS suam parat ex regulo antimonii cum nitro in scorias succineas liquato: ROTHIVS crudum antimonium, cum sale tartari in scorias redigit: inque eo præuntem habet *le MORTIUM collect. chym. Leidens. p. m. 46. 47.* Alii vitrum antimonii cum salibus tractant, & ex eo scorias faciunt: rursusque alii regulum, vel martialem & venereum, vel magis etiam compostum, in scorias liquant, & ex iis, affuso spiritu vini simplici, aut oleoso, v. g. anisato, juniperato, tincturam rubicundam extrahunt, quam *metallorum* appellant. De his nolo copiosus hic esse, quoniam ante non adeo multos annos, ex professio de hoc arguento scripsit D. D. MAYERUS, nunc Physicus Ulmensis, *in Dissertatione sua inaugurali de tinctura antimonii tartarisata*. Antimonii satis modicum secum vehunt, pluriuum debent sali alcalino, quod cum spiritus vini oleosa & sulphurea parte in rubicundum colorem abiit. Medicamentum de reliquo est probum, & resolvendo sanguini crasso, mucido & tenaci fatis aptum, geritque se instar

D

saponis

saponis cuiusdam chymici , qui æque facile in sulphuream partem ingredi valet , ac in aqueam pituitosam . *Sapo etiam Chymicus* D. D. DIPPELI haud dispari ratione concinnatur , & externo usu tophos & induratos tumores probe dissolvit . De tinctura antimonii extemporali in *Commerc. litter. phys. med.* nuperrime legimus , quam hic æstimare non licet , quoniam de ea inter duos magnos chymicos lis est .

THESIS XVI.

Butyrum antimonii est pars ejus regulina, acido concentratissimo spiritu salis , qui in mercurio sublimato fuerat, resoluta.

Qui butyrum hoc , aut , ut alii vocant , oleum glaciale , parant , conjungunt mercurium sublimatum corrosivum cum antimonio crudo . Inepta est proportio anatica . Melius agunt , qui , præeunte STAHLIO , uni parti antimonii addunt tres mercurii , v. g. unciaæ uni , tres mercurii sublimati . Mixta hæc & retorta commissa per biduum aut triduum aëri humido exponuntur , deinde destillationi committuntur . Sie butyrum una cum cinnabari , quæ dicitur antimonii , acquiritur . Si butyrum solum cupimus , loco antimonii crudi accipimus regulum antimonii simplicem , aut vitrum : sive eadem esse debet proportio reguli ad mercurium , ac modo indicavimus . Est autem butyrum hoc valde causticum & catharticum , non tam regulinæ substantiæ intuitu , quam quod in eo est acidum concentratissimum , id quod exinde probo , quoniam eadem omnia præstat cauterium liquidum ex mercurio sublimato & stanno amalgamato confectum , quod describit Excell. D. D. IANTKE Confil. & Archiater Palatino-Solisbacensis , gratiose facultatis medicæ nunc Decanus spectatissimus . Præceptor & Patronus meus summopere colendus , in appendice remediorum selectui suo materiae medicæ subjun-

juncto. Adhibetur externe fonticulis inurendis, ut & in gan-
græna & sphacelo, ad progressum corruptionis inhibendum.
Si hoc butyrum multa aqua diluitur, cadit pulvis albissimus,
quem satis immerito *mercurium vita salutant*, quum incauto
usu multis causa mortis fuerit, de mercurio autem, stricto
quidem sensu, nihil habeat. Est portio regulina antimonii,
ab acido prius corrosa. Dicitur etiam pulvis ALGAROTHI.
Non consultum est illo, infecrorum classi jam diu adscripto,
uti, quum tutiora suppetant; quamvis sunt auctores, qui hy-
dropicis concedunt, utpote quos non nisi per inferiora pur-
get. Si præcipitatum & edulcoratum pulverem cum nitri tri-
plo calcinamus, reportamus antimonium diaphoreticum, sed
vulgari pretiosius, ideoque superbiori titulo inscriptum, *be-
zoardicum minerale*. Sunt tamen qui præcipitationem per-
gunt spiritu nitri, huncque repetitis cohobiis iterum abstra-
hunt: sed MOEBIVS, WEDELIVS & recentiores plerique præ-
dicta ratione procedunt. Si quis humiditatem, in qua pul-
vis præcipitatus subsedit, colligat, & phlegma ad notabilis
aciditatis proventum avocet, emergit *spiritus Vitrioli philoso-
picus*, qui æque forte inepte a vitriolo, quam a philosophia,
nomen gerit. Vsum præstat spiritus salis communis debi-
lior is.

THESIS XVII.

Cinnabaris antimonii, et si vulgari factitia pretio-
sior, nulla tamen vera prærogativa præ illa
gaudet; nec ullo experimento constat, quod
vel hilo melior sit bona factitia: immo quod
nativam inter & factitiam, atque hanc anti-
moniale, essentialis differentia intercedat.

Cin-

Cinnabarimi antimonii accipimus, quando butyrum antimonii, ut initio paragraphi præcedentis dictum est, paramus. Scilicet sulphur antimonii crudi coit cum mercurio, antea spiculis salini spiritus acidi combinato & detento, quam primum is in regulinas antimonii portiones agere incipit, tamquam magis facile solubiles. Rationes apud omnes chymiae consultos in confessò sunt. Testimonia assertum meum comprobantia adducere tempus & spacium vetant. Videatur saepe laudatus libellus STAHLIANVS pag. 187. seqq. ubi simul enchiræfes, non ita vulgo nota, laudantur & aperiuntur.

THESIS XVIII.

De antimonialium usu in genere adhuc monemus, illum præcipue tunc laudabilem esse, quando per illa morbos non tam arietamus & vio-lenter quatimus, (quod saepe præsentaneam opem ægroto & medico laudem; saepius illi damnum, huic ignominiam affert) quam cuniculis quasi & suffosionibus actis eo runderem fundamenta sensim subruimus & amolimur.

FRANC. de le BOE SYLVIVS dicere solitus fuit, illum, qui antimonio rite uti posset, brevi tempore sibi domum ex quadrato faxo structam comparaturum esse. Sæpe autem auditores suos monuit; mentem suam ac pollicitationem illum rectissime assequiturum esse, qui antimonialium blandum & remissum usum recte addiscat, illique adsuescat. Tempori hic aliquid, & haud sane parum, permitti debet, & curationes hæ cum prudenti exspectatione peragendæ sunt.

T A N T V M.

00 A 6326 (1)

VD 18


ULB Halle
004 103 416

3



B.I.G.

Farbkarte #13



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
**MEDICAMENTIS
ANTIMONIALIBVS**
QVAM
SVB PRAESIDIO
DIVINI NVMINIS
CONSENSV ET AVCTORITATE
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN INCLYTA VNIVERSITATE ALTORFINA
PRO LICENTIA
SVMMOS IN ARTE MEDICA
HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
LEGITIME IMPETRANDI
PVBLICO ERVDITORVM IVDICIO
SUBMITTET
**JOANNES GEORGIVS ANTONIVS
KAPFER**
BLINDHEMIO - NEO - PALATINV.
D. XXVII. IVNII A. S. R. MD CC XXXII.

ALTORFII NORICORVM
LITERIS IODOCI GVIELELMI KOHLESII, ACAD. TYPOGR.

